

(præcepit enim Danielem indui purpura ob scripturam expositionem) non surrexit a mensa, non corripuit arma, ut se hosti jamjam adventuro opponeret, non clamavit ad Deum pro venia vel auxilio. Quare nocte subsequente Babylon captata est et rex occisus, Dan. V. Itaque licet ebrios ad alia quædam facienda attenti esse possint, ad Dei tamen verbum et salutem suam prorsus stupidi sunt. Quin etiam refractarii sœpe et in monitore suos injurii, quod exemplo Cambysis Persarum regis discere possumus. Hic enim cum de bibacitate argueretur a Praxaspe consiliario suo, ut vitium excusaret, jussit mox adduci filium Praxaspis et ad palum alligari, sive ad parentem pueri fatus: *Tum demum proba, si sim ebrius, cum collimato hoc spiculo cor filii tui tetigero, jacto telo confixit et occidit puerum, Fulgos. lib. IX.* Quamobrem prudentissima illa Abigail viro suo Nabal reprehensione dignissimo, cum videret eum temulentum: *Non indicavit verbum pusillum aut grande usque mane, ait s. textus, I. Reg. XXV.* donec edormiret crapulam: quia nimis ebrius nec modestæ, nec asperæ reprehensionis capax erat. Similiter et Moyses descendens de monte vidensque vitulum et choros circa illum, iratus valde projecit de manu tabulas legis et confregit eas, Exod. XXXII. Quam vero ob causam? Respondet Hieron. I. II. contra Jovin. *Fregit audacter tabulas, sciebat enim Dei sermonem audire non posse temulentos. Mira res profecto! Tabulae enim illæ a Deo datae et scriptæ erant, adeoque apud populum plurimum ponderis habituræ; nihil tamen secus fregit eas Moyses, et audacter quidem, quia nulla apud ebrios valet prædicatio. Absurdum Moyses esse existimavit, si legem Dei populo ebrio legemque infringenti afferret, ait Chrysostomus.*

VI. Sexta, hæresis et perfidia. Nec enim frustra dixit Ecclesiasticus, c. XIX. *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Confirmatur hoc exemplo Balthasaris, qui præcepit jam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea, que abstulerat pater ejus de templo et laudabat deos suos, etc. Dan. V. Ita nimis ab ebriis primo sacra profanantur et sacrilego ore ridentur, inde paulatim prodit hæresis et perfidia. Et hinc fere Lutheri hæresis tot in præceptis rapuit civitates et regiones, quia apud illas tunc ridebantur sacra, contemnebantur sacramenta, missa in ludibrium trahebatur, sacerdotes et religiosi opprobrium illis erant, et hæc fere apud ebrios et Bacchi studiosos. Eodem modo Graeci, quia maxime dediti ebrietati et conviviis, inde in vita alia, ac deum in hæresin lapsi sunt, postremo in prædam Turcis dati, qui vinum secundum legem suam

execratur, et vineas ubi possunt, succidunt. Germaniam autem nostram Graecie sororem esse quantum ad ebrietatem, quis non videat? Quidquid inchoatur, quidquid et finitur, vino inchoatur et finitur; si quis te invisas, propinando illum salutas, eidemque valedicis poculo S. Joannis: neminem honorare norunt, nisi pergræcando; hoc medio eriguntur federa et societas, optantur sanitates, promittitur fidelitas, aguntur Deo gratiae. Jure hue referimus, quod Fridericus Fornerus suffraganeus Bambergensis, in lib. I. de temulentia malo scribit, cap. X. « Mihi, inquit, necnon et pluribus alius, retulit primarius quidam Franconicus nobilitatis eques, rarae senectatis et canitiei, cui vel eo major fides tribuenda, quod Lutheri doctrinam et ipsem profiteretur, et Lutherum se sæpius ad populum concionantem inaudisse, contestaretur; mihi retulit, inquam, se florente adhuc ætate juvenem magno cuidam et catholicæ imperii principi (quem et nomine tenus ipse indicabat, quod consulto subticendum nobis) inserviisse, et quod dicam, suis met auribus et perceperisse, et oculis aspexisse. Institutum erat a duabus aliis Protestantium confessioni addictis imperii primoribus splendidissimum regali luxu convivium, ad quod vicinitatis et amicitiae causa tertius ille catholicus identem vocabatur, occulti, quod claram institutum erat, ignarum plane stratagematis. Ergo inter accumbendum epulis ampla hinc inde pocula in circum e manu ad manum transmissa optabantur, quibus insidiose callideque catholicus ille ut plurimum petebatur eo consilio, ut largius bibendo ineibriaretur. Successit illorum fraudulenta et funesta machinatio ad sententiam, magno plurimorum infortunio atque Ecclesiæ catholicæ ingenti ruina. Surgitur itaque mensis remotis, statim de more, ulterius bibitur, varia interim per fucum de religionis, quam appellabant reformatione, de publica pace, de imperii salute, in medium adferuntur. Tum demum apostrophe ad catholicum fit, demulcentur blanditiunculis aures, mellea verborum suavitatem animus delinitur, aurei montes promittuntur, velit modo et ipse huic sententiae subscribere, novam ac reformatam religionem capessere, atque in sua ditione propalare. Renuit ille plusculum, cunctatus dubitat. Instant isti, urgent, hortantur, incitant; metum excludat omnem, sua princeps nimis imperii libertate utatur. Lubricam tandem vinoque labefactatam superavit inconstantiam istorum importunitas, imo facile persuasibilem temulentiam vicit, atque ita vicit, ut juramento, seid acturum et confessim effectui daturum, interposito fidem suam sponderet. Edomit a mane crapula cum pro-

missi ac jurisjurandi admonitus esset, ita vehementer doluit pœnituitque facti, ut in fletus et suspiria mirabilis planetu erumperet. Verum ne perjurii nota ipsi aspergi posset, catholicam et orthodoxam religionem suo sensim loco movit, et novam illam absq[ue] trepitu subinvexit. Feretur eum principem reliqua vita valde in religione dubium, ancipitem, atque varium evasisse, et corporis viribus, pristinaque rerum omnium affluentia et prosperitate plurimum defecisse, ac non ita multo post calamitoso satis exitu ex hac vita decessisse: atque haec ratione ebrietas imperatoria aquila ex alarum altera unam præclararam extraxit pennam.

Jam vero quæso te, quid dices, si tibi filius tuus duceret in domum tuam pessimam societatem, v. g. lyricinem, scortum, morionem, militem, hæreticum, etc. Annon tu hos repente ejiceres e domo? Atqui tales socios, imo proles, affert tibi ebrietas, etc.

## CONCIO VI.

## CAUSÆ CUR MULTI EGEANT.

I. Otium et inertia multorum. — II. Injustitia. — III. Avaritia divitum. — IV. Luxus et ingluvies pauperum. — V. Fastus ditiorum. — VI. Impietas. — VII. Diffidentia de Deo.

## THEMA.

*Vinum non habent. Joan. II.*

Tametsi maximum et præclarissimum est miraculum hodiernum, quo Dominus aquam convertit in vinum, quemadmodum et illud, quo pauculis panibus mirabiliter multiplicatis, aliquot hominum millia iterato pavit; tamen si recte advertamus, hoc utrumque miraculum quotannis replicatur in toto orbe terrarum. Qui enim hodie vinum ex aqua fecit, et alibi panes et pisces multiplicavit, idem ille singulis annis de paucis granis segetes (ut loquitur S. August. tract. XXIV. in Joan.) creat, et in ipsis viiibus admirabili ratione et modo aquam in vinum convertit, pluviam scilicet, quam super vineam mittit: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, I. Cor. III.* Ad hæc quemadmodum hodie Dominus de vino providit omnibus sufficiente et alibi de panibus; ita per annum quoque procreat sufficientem et vini et panis copiam, quanta omnibus sufficiere possit hominibus ad necessitatem, imo abundantiam. Quia *dat omnibus affuenter, et non improperat*, Jac. I. Unde vulgo quidem, sed

non vane dici solet: Deum unicuique nominum ad singulos dies singulas vini mensuras singullosque panes produxisse, et quantum in ipso est, destinasse: quod non difficile conjici potest, cum pene omnes provinciæ frumenti et vini frumenta sint: ac si quæ eorum aliquo careant, ex vicinis locis, qui iis abundant, facile habere possunt, cum ipsæ in alio abundant. Jam vero si ita est, unde tot egentes, qui non modo vinum non habent ad bibendum, sed multoties nec panem ad edendum, et vestem ad induendum? Quidnam illud est, quod continua Dei miracula, quibus ex pluviis facit vinum, et ex paucis granis frumentum, idemque copiosum, obseurat et extenuat? Num putamus summum orbis rectorem et communem nostrum Patrem nonne aut non posse nobis alimenta comparare quæ omnibus sufficient? Non possit, qui omnia potest? Non velit, qui aves coeli pascit: *Qui dat jumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum, tam inutilibus et contemptis avibus?* Aliæ igitur causæ sunt, cur multi inter nos egeant, et ni fallor, hæque sequuntur.

I. Inertia et otiositas multorum, qui si laborare et industria esse vellent, facile acquirerent, unde commode sustentari, imo et affluere possent; at quia hoc nolunt, merito egent et aquam bibunt. Prædictum hoc totum Sapiens, Prov. VI. Usquequo piger? Quando consurges e somno tuo? *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus;* si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te. Hæc Sapiens. Ubi advertendum, paupertatem inertibus subito advenire instar viatoris inopinato adventantis, et instar militis armati, qui si in domum tuam locetur, non discedet cum tu volueris, sed ipse te potius ejicit, et supellectilem tuam perdet, aut e fenestra ejicit, aut diripet; et quæ tu comedere volebas ipse comedet, etc. Multi sane patrimonio suo freti manus in sinum ponunt, spatiantur, societatem sequuntur, otiantur; de repente tandem, ubi domum venerint, inveniunt hospitem, qui vocatur egestas, et quidem adeo fortè ut domum alteri vendat. Contingit autem illis, quod fatui virginibus, Matth. XXV. que oleo accepto in lampadibus non acceperunt aliud in vasis quo lumen conservarent, quod tamen fecere prudentes: unde cum dormissent, media nocte excitatae viderunt extingui lampades suas, nec jam habebant, quo eas alerent. Multi tales fatui, qui, patrimonio divite accepto, putant nil sibi amplius posse deesse, unde nec oleum in vasis accipiunt, id est, nulli se addi-

cunt studio aut labore, nullam adhibent industria, qua patrimonium, quod paulatim consumunt, restaurent et conservent: nihil ei addunt, tantum demunt. Unde fit tandem ut media nocte, hoc est, inopinato evigilant videantque extingui opes suas: nec jam habent ullos industriae fructus, quibus deperditas restaurent. Contra vero si impiger fueris, inquit Sapiens, veniet sed fons messis tua. Fons, inquam, non aquæ, sed vini indeficiens semper fluens in domum tuam eamque adimplens. Panthera, ut scribit Pier. lib. XI. hierogl. mirabili industria vinum, quo delecat, sibi parat in cavernis suis. Fontes enim vinosos querit, nec procul ab illorum aliquo specum sibi indagat, tum arundines cavas conquirit, et a fonte usque ad specum suam disponit; quibus velut canalibus vinum ad specum usque deducat. Non minori industria aranea, quo delicatus vesci queat, aviculas captat, dum mirabili labore, etiam sui ipsius evisceratione retia in aere texit, toties et tam artificiose circumeundo, nectendo, funibus appendendo, ipsa in medio quieta sedens auecupis instar, observat reti illatas muscas, moxque exurens necat. Similiter apes et formicæ assiduo labore tantum sibi congregant, ut per hiemem durare possint, imo et hominibus thesauros suos communicare; apes mel et ceram, formice integros saepè frumenti modios. Unde merito exclamat ut supra, Sapiens: *Vade ad formicam, o piger. Animalculis istis ratio non est, præceptor non est, quibus instruantur ad industrias has et ciborum provisiones, vires denique tenuissimæ sunt; nobis ratio est, vires sunt, consilia et documenta sunt, occasio est, quibus pellere egestatem possemus, quibus vinum ad mensas nostras adducere, cibos parare imo et aliis communicare: culpa tantum nostra sit, ut providentia Dei in nobis obscuretur, quæ in omnibus aliis creaturis splendet, quasi vero Deus homini negasset, quæ celi volatilibus ad copiam et liliis agri superbiam usque dedit, victum et vestitum.*

II. Injustæ et maleæ artes, quibus aliqui utuntur ad parandum sibi victum et opes. De justis quidem ait David, Psalm. XXXVI. *Junior fui, etenim senui et non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem. Sed de injustis mox subjungit: Injusti punientur et semen impiorum peribit. Aves quæ prædantur, omnes macilentæ et multarum tantum pennarum sunt; reliquæ vero prædæ nesciæ pingues et corpulentæ, etsi minus pennatae. Ita et qui malis artibus, dolis, fraudibus, usuris, rapinis et exactionibus sua conquerunt, confisi in pennis, unguibus et oculis suis aquilinis, fere semper egent: contra bene habent,*

qui in Deo confisi nemini noeent. Simillimum huie rei est, quod de pennis aquilarum scribit Aristoteles, lib. IX. animal. cap. II. et Plinius, lib. X. cap. III. ab iis devorari et consumi reliquarum alitum pennis, si eis commixte fuerint; quare si quis in lecto suo inter anserinas plumas haberet aquilinas, ei tandem consumptis pennis super stramineo sacco cubandum foret. Ita se res habet cum bonis illis, quæ inusto modo parta sunt; si enim in domum inferantur, et justis opibus misceantur, eas devorabunt, et possessorem bonis omnibus exuent et depONENT. Asserit hoc pluribus in locis sacra Scriptura. Habacuc audiamus, cap. II. sic loquenter: *Væ ei qui multiplicat non sua: usquequo et aggravat contra se densum lutum. Numquid non repente consurgent, qui mordeant te et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam illis? Igitur dum isti putant se congregare aurum, congregant lutum, quia aurum eorum vertetur in lutum; deinde quemadmodum canis canem, corvus corvum, cum eum preda potitus videt, adoritur, mordet, lanceat, fatigat, donec prædam ei eripiat; ita consurgent accusatores, qui bona sibi oblata repetent; consurgent fures, qui diripient; consurgent filii prodigi, qui ea dilapidabunt; consurgent morbi diurni, qui ea absument; consurgent pecorum et jumentorum interneções; consurgent tempestates, quæ segetes vastabunt; consurgent vermes et erucæ milleque alii hostes, qui frumentum, et bona tua exedent avehentque. Fecerunt hoc Persæ Chaldaeis, de quibus ibi loquitur Habacuc. Prædam enim, quam Nabuchodonosor tulit de Jerusalem extorsit ejus filio Balthasar Cyrus rex, Persa Chaldaeo. Caveant sibi omnes ab aquilinis pennis, sive a se, sive a parentibus domui sue illatis. Exemplum unum hujuscemodi rei narrat S. Gregorius Turonensis, in gloria confess. cap. CIX. de Lugdunensi quodam vini mercatore, qui ut luera augeret vinum aqua miscere solebat, nec parum hac arte locupletatus erat; hic navigio ad emporia trajiciens Ararim fluvium, marsupium penes se pecunia oppletum habebat; interim dum aliquid negotiatur et nummum extrahit, marsupium vero, quod e pelle hispida confectum erat, e regione seponit, milvus id conspicatus et ob pilorum hispiditatem lepusculum vel cuniculum ratus, rapuit et in sublime tulit; at cum sibi id inutile cerneret (cum carne non ære saturetur milvus) prædam dimisit, quæ in profluentem lapsa, ultra conspicere non potuit. Videns hoc mercator lacrymabundus dictabat: *Quo peccavi, codem et punior: per aquam pecuniam congregavi, in aquam lucrum omne**

*dilapsum est. Videtis igitur, auditores, qua ratione hic vinum bibere potuisset, nisi pro vino aquam vendidisset?*

III. Avaritia divitum. Quero enim: Si quis opulentus pater habens plures filios, moriens tantum unum de more patriæ eumque primogenitum filium (quemadmodum in Hispania fieri solet) hæredem bonorum suorum omnium institueret ea tamen lege, ut primogenitus ille fratres suos sibi commendatos haberet et inopiam eorum sublevaret, idque saepissime in testamento repeteret, dicens: *Volo ut sit illis pater et in hoc ostendet se filium meum, etc. si postmodum inveniremus fratres illos primogeniti discurrentes per plateas, laceros, nudos, panem mendicantes et audiremus dicentes: Frater noster major e domo nos ejecit, omnia bona patris nostri sibi usurpat, nec quidquam nobis tribuit: quæso, cuinam hanc rem indignissimam adscriberemus? Num patri? Minime vero: nam ex more patriæ fecit, et causas urgentes habuit, quod primogenitum hæredem instituerit; fratres deinde ei alendos dedit. Filius ergo major culpandus est. Pari modo instituit Deus divites velut majores natu et primogenitos, bonorum terrarum hæredes, eo ipso, quo abundantiam eis tribuit, pauperibus vero ne sufficientiam quidem, idque juste omnino: siquidem per hoc patientia a pauperibus, misericordia et liberalitas a divitibus exerceri potest, et ita mutua inter utrosque charitas plantari, merita utrorumque augeri, etc. Sed interim tamen mandavit illis, unicuique de proximo suo, inquit Ecclesiasticus, cap. XVII. et iterum in veteri testamento, Deuteronom. cap. XV. *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. Saepissime vero Christus id ipsum replicavit in novo testamento: Hoc mando vobis, ut diligatis invicem: et: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, etc. Quod si igitur aliquos nunc egentes videmus, cuius est haec culpa? Nonne divitis, qui totum sibi servat, fratribus nil communicat? Certe si quantum abundant divites, tantum darent pauperibus, dubium esse non potest, quin nemo amplius egeret, quia divina providentia, sicuti omnibus bestiis, ita multo magis hominibus providit necessaria; feras enim cernimus sufficienti provisione omnes sustentari, quia nulla earum plus sibi usurpat, quam victum necessarium. Avarorum igitur culpa est, non Dei, quod aliqui egeant necessariis, qui plus justo sibi retinent. Quo circa Hebrei merito pro præcepto accepérunt, non pro consilio solum, id Deuteronomii XV. *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. Curaruntque omnimodo et curant in hodiernum, ne quis ex ipsis mendi-***

cet. Qui enim hoc non faciunt, cum possunt, Dei providentiam obscurant, imo impediunt, qui cum omnibus sufficientiam destinari, pauperes juvari voluit per divites. Denique, nonne ingens dedecus est, deseriri pauperes Christianis, cum Judæi non deserant Judeos? Hanc igitur ob causam sepe Deus bona divitum diripienda dat pauperibus. Exemplum refertur a Surio, mense decembri, in vita S. Spiridonis de divite, qui cum plurimum frumenti haberet, nec aliqui pauperi quidquam inde largiri tempore famis vellet, altero die, juxta quod prædixerat ei Spiridion, horreum ejus ob pluviarum vim et abundantiam naturæ et effundi coepit, ac dispergi frumentum, ita ut pauperes certatim accurrentes, abunde, quod asportarent, haberent, et inter alios etiam is, cui pridie negaverat dare pro pretio frumentum, quem postmodum jubebat etiam auferre secum gratis quantum vellet, virtutem ex necessitate faciens, non sine sui irruzione, damno et dolore.

IV. Luxus et ingluvies pauperum, qui fere ita constituti sunt, ut malint semel et simul ad nau-seam ingurgitari, quam per partes saturari, licet sciant postmodum famem sibi suisque tolerandam. Uno enim die festo ordinarie absument una potatione vel lusu, quod eis per totam hebdomadæ sufficere potuisset; uno item haustantum aliquando, quantum in diem satis eis foret. Horum igitur, non Dei, culpa est, quod egeant: sicut si dux aliquis singulis mensibus distribuat militibus, cuique stipendum suum, si mox primo die milites id absument alea et potatione, nemo incusabit duecum. Quod si ultra quam requirit natura, non absumerent pauperes vix unquam forent pauperes. Nam Seneca teste: *Si ad naturam vives, nusquam eris pauper; si ad voluptatem, nusquam eris dives. Et quis insaniam istorum non miretur, qui malunt semel ingurgitari posteaque diu egere, quam moderato vietu constanter uti? Accusat hos imprimis Deus, cuius providentia immerito per illos obscuratur et quasi iniqua traducitur aut ab ipsomet reis accusatur. Accusat animalia bruta, quæ naturali instinctu non plus absument uno prandio, quam natura ipsorum petat; reliquum sibi in posterum servant. Ita corvi, ita canes, ita elephantes faciunt, qui cibum sibi superfluum abscondunt et postmodum esuientes resumunt: speciatim vero elephas quidam in Syria narratur aliquando, cum præter morem a magistro duplum pabulum accepisset, proboscide sua medium accurate sejunxisse et magistro reliquisse, apud Pierium, lib. II. hierogl. Accusat propria natura quæ utrobique patitur; nimia enim ingurgita-*

tione oneratur, et sequenti egestate premitur. Quanta vero est haec stultitia, pro perpetui solatio perpetem sibi eligere poenam? Annon magnum foret operatio solatium, si finitis operis sciret se domi reperturum bonum eibum, bonum potum? Annon magna poena inepti et postea carere? Ne dicam morbos sibi conciliare? Accusant denique istos uxori et liberi, qui jure suo fraudantur, viro omnia dilapidante, per quem saepe ad extremas rediguntur angustias, furari coguntur, aut mori, etc. Propterea apud Corinthios mos fuisse dicitur aequissimus, ut si quis terneretur splendidius obsonare, interrogaretur de suis facultatibus; et si illae victui illi aequales vel maiores essent, permittebatur vicitare; sin minores, quam facultates ejus ferrent, ei mulctam imponebatur. Quod si nihil haberet, tamen adeo opipare viveret, necandum sacrifici tradebant, quia aut furem esse dicebant aut furibus participare debere, Diphilus, in mercatore Athen. lib. V. cap. II. dipnosoph. Tandem exemplum terribile hujus dissolutionis narrat Jo. Benedicti, lib. III. sue summae, capite VII. in appendice, his verbis: « Quid paucos ante annos homini Iusui et poculis addictissimo contigerit, hic minime prætereundum. Hic cum rem omnem in Iusu et popinis consumpsisset, eum aliquando potitantem adivit uxor rei domesticæ penuriam expositura, sed sic illam verberibus exceptit, praesentibus compotoribus, ut cœu mortua sit ibi relieta. Misera tandem resurgit, ac domum reversa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde illius vestem apprehendentes, vociferabantur: Da panem mater, mater, fame perimus; jamjam hūdum est ex quo nihil sumpsimus. Ah! pueri mei, undenam habebo? Pater vester expendit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori, quam sic fame languere, et una morte mille mortes redimere. His dictis, velut desperabunda, confestim arripit cultrum, quo utrumque jugulat. Sub crepusculum vero noctis maritus domum reversus ebrius et reliqua substantia exhaustus lecto se committit, quem ut somno sopitum vidisset, eodem cultro, eadem audacia, qua Judith Holoferni, etiam marito caput amputat. Morieris, inquit illa, cum perversa tua vivendi ratio sit tua ipsius et mea et puerorum nostrorum ruina. Re palam facta ipsa a magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adjudicata supplicium libenter subiit, habita prius ad conjugatos monitione, ne sic sua in aleis et tabernis dissiparent. En ut gula cum alea his quatuor mortem intulerit! »

V. Illustrum et ditorum hominum fastus, pompa et sumptus immoderati. Horum enim

aliqui pavonum instar, (quibus flabellum non pro temone, ut aliis servit avibus, sed mere ad ornatum et spectaculum) se adornant nullo fructu, et superbiae impendunt, quod plurimorum ventres satiare posset. Alii perpetui sunt in poculis et patinis, bibunt ut vomant, vomunt ut bibant, suntque instar animalis illius, quod a voracitate helluo dicitur; quoniam reperto cadavere tantum vorat, ut violentio cibo corpus instar tympani distendatur, et protinus duas arbores vicinas querit, inter quarum angustiam comprimit et stringit ventrem, ut violentius egreditur, locumque novæ voracitati faciat; sieque ad vorandum redit. Refert Pererius, in Gen. multa tales helluones, qui ut largius et diutius bibere possint, vim naturæ inferunt variaque gulæ irritamenta excogitant; alii frequentissima symposia et compotationes instituunt, quibus sumptus non necessari fiunt; alii immoderatos sumptus faciunt in alendis equis, canibus, falconibus, mimis, scurris, thrasonibus, etc. Quæ omnes superfluitates si in pauperum usus cederent, nemini dubium, quin pauperes esse desinerent. Nam si de Pittaco illo legislatore scribit Laertius, libro I. cap. V. postquam is tulisset legem, ut qui per temulentiam sceleris aliquid commisisset, duplo plecteretur, inde factum esse, ut paulo post insula vino abundaret: quanto id magis fieret, si non ebrietas tantum, sed et alii sumptus immodici caverentur et pauperibus cederent? Nec certe video, quomodo non propterea isti rationem Deo reddituri sint; siquidem videntur pauperibus abstrahere, quod adeo male perdunt; et quod illis est superfluum pauperibus est necessarium. Ad quid enim Dominus tam sedulo jussit in utroque illo convivio quod exhibuit hominibus, ut colligerentur fragmenta, ne perirent? Docere utique voluit divites, ut ipsi temperanter viverent, superfluum vero pauperibus darent; alioqui rectissime dici potest, quod Judas perperam dicebat: *Ut quid perditio hæc?* Potuit enim hoc venundari et pauperibus dari. Numquid enim ideo vobis plus dedit Deus, ut tam inutiliter id prodigeretis? Numquid soli contulit tam copiosum lumen, ut sibi tantum, non nobis luceret? *Vx qui conjungitis domum ad domum,* ait Isaías, cap. V. *et agrum agro copulatis usque ad terminum loci!* Numquid habitabilis vos soli in medio terræ? etc.

VI. Impietas et indevotio multorum, qui Deo pro acceptis beneficiis gratias non agunt, divina negligunt, et regnum cœlorum terrenis suis negotiis postponunt. Si enim querentibus primo regnum cœlorum terrena adjiciuntur; licet argumentari, quod non querentibus non adjiciantur.

Unde Isa. V. dicitur: *Vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, neo opera manuum ejus consideratis. Propterea nobiles ejus interiorunt fame, et multitudo ejus siti exaruit.*

VII. Diffidentia de Deo, quoniam multi in sua confidentia industria plusquam in Deo. Unde quemadmodum Christus in Nazarenorum civitate signum facere non poterat ob incredulitatem eorum; ita multis non adfert eam opem, quam alioquin afferret, ob diffidentiam eorum in Deum. Ob hanc causam populus Israel saepe affligebatur fame, quia de Deo diffidebat, uti Num. XI. ubi Moyses ipse quoque dubitabat, quomodo Deus tantum populum saturare carnis posset. Sed respondit ibi Dominus: *Numquid manus Domini invalida est?* Quid certius aut evidenter argumento illo Domini, Luc. XII. Si Deus pascit volatilia cœli, quæ non serunt neque metunt, et vestit lilia agri, quæ non laborant neque nent, quomodo non magis hominibus, quos ad imaginem sui condidit, et per Spiritum sanctum in filios adoptavit, providebit omnia necessaria ad vitam? Nonne facile est in oculis Dei subito honestare pauperem? id est, locupletare, ut habet vox Græca, Eccles. XXI. item Psalm. XXXIII. *Non est inopia timentibus eum!* et Psalm. XXXVI. *Non vidi justum derelictum, etc.*

## CONCIO VII.

## QUIBUSNAM INTER ALIOS MAXIME VITANDA SIT EBRIETAS.

- I. Adolescentibus. — II. Mulieribus. — III. Senibus.  
— IV. Principibus, et magistratibus. — V. Clericis.  
— VI. Christianis præ aliis hominibus.

## THEMA.

*Vinum non habent. Joan. II.*

Nobilis quidem creatura vinum est; sed quam nobilis est, cum debito modo capit, tam noxia et vilis est, cum intemperanter bibitur. Propterea forsitan Christus in nuptiis hodiernis distulit nonnulli vini miraculum, quasi prius deliberans expediretne convivis vinum propinare? Quando alias plerique solent tam nobilem liquorem ad suam haurire perniciem. Hanc enim causam reor, cur ejusdem vini notitiam et confectionem voluerit Deus mundo occultam esse usque ad annos 1600. post mundi creationem; tunc enim vitis quidem et uvæ erant, sed nesciebant homines vinum inde exprimere. Videl ergo Deus, profuturum ex una parte vinum generi

humano ad mœrorem, labores et infirmitates ejus leniendas et roborandas; ex altera vero parte, multis obfuturum, adeoque fore hominibus lapidem offensionis; quod vel ipse statim Noe, qui vini inventor fuit, in se expertus est, cum bibens ineptiatus est, nesciens vim vini, quam si cognovisset, fortasse non prodidisset. Et quæ alia causa est, cur omnibus nationibus providerit Deus agros, non omnibus item vineas, nisi quia illi ad necessitatem, hæ ad voluptatem magis faciunt, et quia illi satietatem tantum, hæ vero ebrietatem etiam afferunt? His tamen susque deque habitis vinum illud Noeticum tam avide citoque ab omnibus arreptum, tentumque fuit, ut ipsum ejus nomen in omnes linguis transierit, idemque quod prius, apud omnes licet jam linguis divisos, remanserit: vinum enim Hebreis dicitur Jain seu jen; Græcis oinos; Latinis vinum; Gallis vin; Hispanis, Italies et Sclovonibus, vino; Germanis, Anglis et Belgis, win, vel wein. Sed et Noetica ebrietas ad omnes pene transiit, cuiuscumque status, sexus, conditionis homines, magno humani generis opprobrio. Quod tamen non idem est in omnibus, sed in quibusdam minus, in aliis vero majus, ut videbimus.

I. Ebrietas vitanda maxime est adolescentibus et multo magis pueris. Primo, quia si plus aequo bibant, calorem jam satis intensem augent, aquæ potius temperamento valde indigenent. Hinc Plato, lib. II. de legibus, pueris usque ad annum decimum octavum vinum prohibuit; quod non oporteret ignem igni in corpus atque animum sugerere, antequam viri effecti subire labores incipiunt. Accedit S. Hieronymus, in ep. ad Eustoch. « Vinum et adolescentia, inquit, duplex est voluptatis incendium. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpusculo ignium fontem ministramus? » Denique apostolus, ad Tit. II. ait: *Juvenes hortare ut sobri sint.*

Secundo, quia, quod ex dictis sequitur, detruntur illorum animi et corpora. Animi, quia ex vini intemperantia progignuntur vitia, veluti ex palude vermes, ranae, sanguisugæ, etc. unde reipublice nequeunt prodesse. Corpora, quia experientia docet, multos fieri debiles, obtusos stolidos, et quosdam extingui omnino. De tribus adolescentibus narrat Athenæus, lib. I. cap. II. quod vino calefacti usque eo dementia processerint, ut in taberna degentes in triremi se navigare et mare turbatum crederent, ac velut in naufragandi periculo suppellectilem domesticam per fenestram ejicerent, ut paulo supra diximus. Quod si non omnino renoveri potest vinum a mensa adolescentum, sit saltem, quod